

L V G V B R E S 1

ELEGIAE, ET EPITA-

PHIA VARIA IN OBITVM GE-

NEROSORVM ET EGREGIORVM VIRO-
rum, D. Ladislai Carolij, D. Stephani Schinij, D. Ni-
colai Walkai, generosæ D. Claræ Boczkoi, clarissi-
mi viri D. Petri Carolij, lectissimæ coniugis, Annæ,
clarissimi & doctissimi viri, D. Casparis Carolij, filij
eiusdem Casparis, & filiarum Saræ, Margaritæque.

*Conscripta pietatis & gratitudinis ergo ab Andr. Carolino
Ioh. Budao, Stephano Cziorba D. &
Francisc. Vasakhelino.*

Ecclesiastici 7. vers. 40.

*Memento ultimorum tuorum; & in eternum
non peccaturus es.*

4078



ANNO M. D. LXXXVII.

1583

*Hæc ubi dicta dedit, tenues commigrat in auras
 Spiritus, & cœli regna beata subit.
 Felices animæ, queis sic, statione relicta,
 Hanc vitam placida claudere morte datur.
 Hæc cecini tristis, gratam testantia mentem
 Carmina, pro meritis, magne patronे, tuis.*

Grati beneficiorumque memoris animi testifi-
 candi causa mœstus faciebat ANDREAS CA-
 ROLINVS cliens subiectissimus.

EPITAPHIVM EIVSDÆM.

*OSSA Ladislai sunt hoc sita puluere terra
 Carolij; cœli spiritus astratenet.*

A. C.

Lad. Egmont
- ales 30 lop

EPITAPHIVM EGREGII VIRI,
 nobilitate generis virtutumque specimine
 conspicui ac laudatissimi Domini
 STEPHANI SCHINII.

HIc situs es Stephanus vir sanguine clarus equestri
Cuius aucta domus Schinia dicta fuit.
 Non virtute minus, quam nobilitate celebris.
Hic erat, ore grauis, religione sacer.
*Nil pietate prius duxit, nil pace, nec ullum
 Verborum huic mordax virus in ore fuit.*
*Molliter ossa cubent, Christus dum tempore certo
 Restituat sanctis corpora clara suis.*

A. C.

A iij

EPITAPHIVM GENEROSI DO-
MINI, NICOLAI VVALKAI.

NICOLEOS, lugere boni, iacet inclitus heros,
Maxima Valkaicæ lux columenque domus.
Hic inopum tutela, senum decus, hic erat alma
Exemplum fidei, nobilitatis honor.
Artibus hic pacis, validis & clarus in armis
Sustinuit patriæ s̄epe labantis onus.
Auspicioque Dei pro libertate piorum,
Hostica Threicij contudit arma ducis.
Cum Mauortis opus tractans iuuenibus annis,
Virtutis specimen militiae que daret.
Sed, n̄e consilio patriæ iam proficit & armis
Inuida honoratum fata tulere senem.
Quām fragile est, heu, vita bonum, hoc quām mortis acerba
Saūper incertas vis premis t̄sque vices.

I. B.

Elegia

IN OBITVM GENEROSI VIRI,
PRUDENTIA CVM TOGATA TVM
bellica, liberalitatisque in orphanos &
egenos exemplo memorabilis
Domini NICOLAI
WALKAI.

NIL senium mors saua, viros, iuuenesque morari?
Quoslibet in rapidos conijcū ergo rogos?
Passibus ambiguis quōd caca feraris in omnes,
Extimulata graui forse furore facis?

An petis à quovis merito pro crimine pœnam
Iusticia velutifaxque rigorque Dei?
Parce ferox misericordia, & mitius aspice lapsos,
Summa manere diu visque furor que nequit.
Ibimus, & numerum dictis explebimus horis,
Dummodo fata vocent, fata sequemur autem.
Scilicet haud ullum rapis importuna piorum,
Quisque suo, fatis, tempore, cedit homo.
Nil ve nocere potes, careas cum morsibus orci
Et posito fiant mota tropæa loco.
Corpus humo texisse iuvat, dum præterie orbis,
In cœlos animas mittere, dulce fuit.
Non istud querimur, minùs est ea causa doloris,
Invidiæ non, hæc, criminis, facta carent.
Virtutum sed quod peritas exempla bonarum,
Humanis, quod sis, rebus iniqua, queror.
Prætero reliquos; memoro ob virtutis honorem
Nicoleon, dignum nobilitate senem.
VValco, locus patriæ, generis cui fecerat ortum
VValco, pij, claro nomine, clara, viri,
CORVINI natus post fata recentia REGIS
Aetatis, specimen grande, senilis, erat,
Corpore plus membrisque vigore valentibus, horum
Languida, quam nostro, vis queat, orbe virum.
Consilium, dubius, præsens, in rebus, habebat,
Thestoridæ Regno vatis & instar erat.
Narravit quoties, gravitate silentia movit.
Auribus arrestis dista tenente grege.
Pectora sic grato verborum pondere mulgit,
Nestoris, eloquij, ferret ut, arte, decus.
Caca supersticio mentem ceu texerat agram,
Cimmeria, dum lux condita, nocte fuit:

Sic Euangelij lumen fera corda subire
 Cœpit ubi, verbi, lucis amansque fuit.
 Et licet Imperij sit castra secutus & arma,
 In factis pietas, corde fidésque fuit.
 Mane novo Dominum, petiit quoque vespere sero
 Concipiens avidas pectoris ore preces.
 Munia sic vitæ studio pietatis obibat,
 Eſſet ut in rebus, norma salutis, iter.
 Non congeſſit opes, irritamenta malorum,
 Subſidium in vitæ, contulit omne, piæ.
 Quotque viis censum à populo collegit, egenis
 Pauperibus totidem tradidit ille viis.
 Alter erat viduus, orbisque parentibus, æquus
 Flete, parens, orbis matribus, alter erat.
 Non, bonus ille, gregem censu laniavit iniquo,
 Pastor ovis fidus, non lupus acer erat
 Nutrit infantes vix matris ab ubere motos,
 Imbuit & tenerum pectus amore boni.
 Post, Patris ad normam, quo quis fuit ordine dignus,
 Omnibus, hoc, vitæ iūisque modumque dedit.
 Hic quantum, ex obitu, cepisti Ecclesia damnum?
 Quam fulcro, fatis, es ſpoliata pio?
 Dignus erat caliſcelerum vixiſſet ut ævo,
 Virtutis veluti grandis imago piæ.
 Hunc tamen è terris, mors ô funesta, perenni
 Lege rapis, tumulo claudis & ossa cauo.
 Cæca, furens, violenta, cui non grata virorum
 Vota, nec Hyrcanis mitior ungue feris.
 Niteris incassum nil proficientibus orſis,
 Inque pios nullo, tela, furore iacis.
 Hic, modò quem vicisse putas, non arma timentem
 Mors tua, Valkiacæ gloria gentis erat.

Sat

Sæc vixit, bene vixit, habet nunc gaudia cœli
 Mens pia; maternam debile corpus humum.
 Nicoleo terris, tumulo reuocatus inani
 NICOMOROS, verso nomine, verus, erit.

STEPHANVS CZORBA
 Debrecinus scribebat.

EPITAPHIVM GENEROSÆ DOMINI

NAE, PIETATE, CASTITATE, PRUDENTIA
 cæterisque virtutibus clarissimæ matronæ CLARÆ
 BOCKZKAI coniugis quondam Generosi & egregij
 viri D.Iohannis Cziapi de Ezeni, piæ memoriae, qua
 diem suum obiit XXII. Febr. anno 1586.

Scriptum pietatis & gratitudinis ergo
 ab ANDREA CAROLINO.

Hic quoque Czapino quondam coniuncta Ioanni
 Clara iacet, generis gloria magna sui.
 Casta pudicitiae famam seruauit honestam,
 Quâ generosa nihil fæmina maius habet.
 Haec, quo, dicta fuit, dignam se, nomine, geſſit,
 Clara fuit meritis, & pietate simul.
 Assidue quoniam doctos audire solebat;
 Nilque habuit sancta religione prius.
 Ipsa senes, inopesque nurus, ægrosque fouebat,
 Et viduus largâ præbuit æra manu.
 Virginibus, fuerant quæcumque parentibus orba
 Pronuba conſortes tradidit ipsa tori.
 Naturæ bonitas, fidei constantia, candor,
 Lingua in consilijs adfuit apta pijs.

B

Cumque

Czapi
 de Ezeni

Cumque vir è terris sublatus in astra fuisset,

In viduo mansit fœmina casta toro.

In vita vigore preces, fiducia Christi,

In gremio vitam mortua cuius agit.

Principibus, quondam quos aurea protulit ætas

Ista fuit verè fœmina digna viris.

Nulla unquam illius virtutes nesciet ætas;

Has nullum in laudes moris habet ætra locum.

A. C.

ALIVD EPITAPHIVM CLARISS.

ET DOCTISSIMI VIRI D.

PETRI CAROLII.

CAROLIVM dederas nobis, Deus optime, Petrum.

Qui fuerat patriæ gloria prima mæ.

Præfuit hic sacerdos non paucos ritè per annos,

Varadij magna sedulitate docens.

Hic erat eximijs virtutum dotibus auctus,

Ingenio clarus, iudicioque grauis.

Quid referam, quanta Franciscum vicerit arte

Dauidis, Christum qui negat esse Deum?

Omnia sustinuit mira bonitate Sophistæ

Scommata, ne feruor posset obesse sibi.

Dum pia scripta viri florent, laus vera manebit.

Illijs exemplum posteritasque coleat.

A. C.

EPITAPHIVM

SANCTISSIMÆ ET PRÆSTANTISSI-

MÆ FOEMINÆ ANNÆ CONIVGIS CLA-

rissimi & doctissimiviri D. CASPARIS CAROLI-

NI, & filij eiusdem optimæ spei pueri Casparis, & fi-

liarum præclaræ indolis SARAE, MARGARITAE-

QVE, diem suum obeuntium mense Augusto Anni

M. D. LXXXVI.

PIGNORA coniugij tria sunt cum coniuge chara
Condita Carolij Casparis hoc tumulo.

Vxor amans pietatis erat, studiosaque veri,
Anna pudicitia & laude celebris erat.

Huic placidos mores cœlestis cura parentis

Contulerat, Christum quës venerata Deum est.

Hunc moritura vocat votis, huic voce modesta
Commendat Dominoseque virumque suum.

Munera pauperibus largè conferre solebat;

Planixerunt inopes, hac moriente, nurus.

Ergo tot insignem dominam virtutibus ecquis
Laudibus orbatam iam putet esse suis?

Candida fama manet castas post funera matres,

Sinceram Christi quæ coluere fidem.

Spiritus è terris translatus in arua piorum

Viuit, & aeterna gaudia lucis habet.

Tu quoque, qui patris es Caspar de nomine dictus,

Hic recubas, generis sola propagatio;

Dulce leuamen eras, spes, & pia cura parentis,

Indole præpollens, ingenioque sagax;

Ore verecundo faciem, moresque paternos

Reddens, virtutis tu documenta dabas.

Bij

Quin-

Quinetiam celeri poteras comprehendere mente,
Quæ præceptores te docuere tui.
Percepit & pridem promptè recitare solebas;
Eenoras Latio reddere verba sono.
Scribere tu scitè poteras, & ducere versus
Ordine legit mos singula queque locans.
Te nisi mors viridi puerum rapuissest in ævo,
Haud minor eximio patre futurus eras.
Si concessa essent longe tibi tempora vita,
Præ multis ioto nobilis orbefores.
Quæ magno constant aliis sudore, benigna
Ingenij hæc norat vis bonitasque tui.
Te quia mors rapuit, postremum pignus amoris
Hoc cape, perpetuum Caspar aue atque vale.
Tu quoque chara patris soboles, & gloria matris
Sara immaturo hinc funere rapta iaces.
Si non rupissent tibi tam citò stamina parca
Esse piæ poteras matris imago tua,
Moribus ingenuis, animi quoque dotibus aucta.
Indicium quarum forma venusta dabat.
Denique Margritæ nomen quæ dulce gerebat,
Proxima maternis ossibus ossa cubant.
De qua magna quidem, sed inanis facta parenti
Spes fuit; usque adeò es parca seueranimes.
Membra iacent tumulo hoc rursus victura puella:
Mens piæ cœlestem gaudet habere locum.
In tumulo tenera hoc igitur requiescite membra,
Dum veniat cunctis ulcimus ille dies.

A. C.

ALIVD

ALIVD · CASPARI CAROLINO,
filio vnicè dilecto viri clariss. D:
Casparis Carolini.

6

Hic spes una iaces generis, patris una voluptas,
Ante tuum Caspar funere rapte diem.
Hei mihi, quam dulci spoliata Ecclesia flore est:
Vnaque quam magnum sustulit hora decus!
In te vera tui splendebat imago parentis,
Oris & ingenij conspicienda bonis.
Tetenerum Musæ, velut hæc ad munera natum
Molliter in Clarijs instituere choris.
Iamque decem vitæ, posteras, natalibus actis
Promere Romano verba polita sono.
Promtus eras lingue iam prima elementa Pelasga
Percepta ingenio cuncta referre tuo.
Neu vagat orum fors esset causa bonorum;
Grammaticæ rectum mens tua norat iter.
Et, nisi summa dies primo rapuissest in ævo
Gloria Pieridum magna futurus eras.
Quinetiam pietatis amor te, & sancta parentum
Cura, salutiferas erudiere vias.
Vi posses geminas tollens ad sidera palmas
Debita cœlesti reddere vota patri.
Viisque pium posses sacram delatus in adem
Ante homines carmen dicere, & ante Deum:
Sanctaque poscenti recitare oracula patri,
Cum foret è ludis hora redire domum.
Omnia præstabas Christo duce, & auspice Christos
Unica qui nobis est via, vita, salus.
Sed dum recta tenes huius moderamina cursus,
Indolis & profers dulcia signa piæ:

B iii

Dumque

Dumque artes, Christique colis sacra; sacra colentii
Intulit, heu, rapidas mors tibi saua manus.
Inque tuo casu pairis solaria, spemque
Virtutum, indignum, sustulit atra dies:
Quæque tibi Charites, quæ contulerantque Camæna
Omnia fatales eripuere Deæ.
Tenasiente, domus fuerat lux orta paterna;
Lux abit eiusdem, te moriente, domus.
Crudeles Parcæ, non vos piæ vota parentis,
Plurima pro nato quæ tulit ille suo,
Non pueri florens atas, nec amabile pectus,
Nec mouit pietas, ingenuusque pudor;
Sed miserum, abrupte vernantis stamine vitæ,
Mœsta coegisti vincula subire necis:
Hic flos ni tenera foret, ah, succisus in herba,
Christe, tuam explesset plenus odore domum.
Dos in eo talis, vis tam generosa latebat,
Illiis & tantas succus habebat opes.
¶ Ego cur miseras nequicquam fundo querelas?
Non datur humanis vincere fata sonis.
Quanvis ergo iaces, extincto lumine vitæ,
O lacrymis pairis Caspar humate tui.
Non tamen æternum paruare cubabis in vrna;
Mens tua sed carnire restituenda sua est.
Cum Dominus iudex venturus & arbiter orbis,
Nostra per angelicam colliger ossa tubam.
Nunc placide hoc tumulo tua condita membra quiescant,
Spiritus ætherei viuat in arce poli.
Quique nouo in terris, ceu lilia, mane cadebas,
Cum Christo in cælis mox Amarant busiris.

I. B.

Elegia

Elegia

IN MEMORIAM CONIVGIS CLA-
RISSIMI VIRI D. CASPARIS CAROLINA
filij, filiamque eiusdem placidè in
Christo obdormientium.

De mortis certitudine, causa, &c.

VLTIMA, crede, dies & ineluctabile fatum
Haude quidem incerta sorte, cuique venit.
Mortis & illa dies est ultima linearerum,
Quam, nulli, cursu transiliisse, datur:
Nam modus est vitæ, & finis præfixus ab illo,
Omnia qui certo limite clausa tenet.
Nec tamen ut legis Deus est fons æquus, ita autor
Est necis, autorem res, modus, acta docent.
Vita Deus, vitæ & cunctis est rebus origo,
Æternicum sit tale vigoris opus.
Mors soboles culpæ infelix, fætura parentum, hæc
Orta per (heu) tristem, Dæmonis arte, dolum.
Hinc hominum sors est nece supplicioque cruenta,
Profati & facti conditione brevis.
Editur hinc quisquis vitæ præsentis in auras,
Mors in eum, fati robore, robur habet.
Continuòque ortus vix lux ubi prima ræfusit,
Quisque solet certè mortis adire viam:
Plus nec habet, quam prima dies concessit eidem,
Quod subit hinc tempus, vincula mortis habet.
Limite nos tali, series inuita coeret,
Sors eanós, labis nomine, iure premit.
Et tamen in toto nihil est fallacius orbe.
Quam vitæ istius, spes diuturna brevis.

Cum

Cum subito punc*ti*, quod viuimus, instar agatur,
 Aut aliquid punc*to* si queat esse minus.
 Mentis inops nec ita est vllus sibi qui moriendum
 Nesciat, & nigro membra regenda solo;
 Arduus at labor est tranquilla mente subire,
 Mortis iter, grauis est res, didicisse mori.
 • Rara virum vox est, VIXI CVRSVM QVE PEREGI
 AVSPICIO DEDERAS QVEM MIHI CHRISTE TVO.
 • Nam mecum hinc urget, ne nos premat ultio labis,
 Ultio perpetuis fœta nocensque malis.
 • Ex Domino geniti possunt contemnere mortem,
 Et viget in quorum pectore vera fides.
 His iacet illustri mors debellata triumpho,
 His ope iam Christi colla terenda dedit.
 Vista vigore caret, nisi quod queat abdere tumbris
 Corpus; at in mentem nil, fera, iuris habet.
 Cen prius emoritur semen quod conditur aruis
 Exurgat, viridi, quam noua, rure, seges:
 Sic quoque putrescit corpus tellure sub atra,
 Donec clara Dei vox vocet illud humo.
 Mens abit in cœlum, felix victura per æuum
 Quod claudi nullo fine modoque potest.
 Vos quoque CAROLII Gnati & dulcissima coniunx,
 Spes generis, thalami dulce iugalis onus,
 Mœsta quidem tumuli subito monumenta subiustis,
 Mœsticia, tumulus, niltamen, acris, habet
 Corpus humosum tum, gremio requiescit eodem;
 Spiritus aethereæ limina sedis habet.
 Hunc, virtute Dei, infidum superastis ut orbem
 Sic quoque, mors, Christi robore, victa, cadet,
 Putre rogi quando corpus reuocabitur umbris
 Atque suam repetet mens reuocata domum

Plaudite

Plaudite nunc igitur, quibus hoc iam carcere misso,
 Spe percepta diu meta salutis adest.

8
Stephanus Czorba Debrecinus
scribebat.

EPITAPHIVM.

SVAVISSIMIS VIRTUTVM FLO-

SCVLIS DECORATAE VIRGINIS, MARGA-
 ritæ, filiæ, pietate, humanitate, doctrina clarissimi viri
 ac vigilantissimi Pastoris ovium Dei apud Guncien-
 ses, D. Casp. Carolini, quæ obiit diem suum, Anno
 Epochæ Christianæ c. I. I. lxxxvii. die Iulij.

Qui cumulas lapides nitidos, qui congeris aurum,
 Hunc tumulum aspiciens siste viator, iter.
 Sic tua quadrupedes agnoscant frenafurentes
 Quæ cernis, vigili si metra mente legas.
 Non bene securus vitæ, sibi prospicit unquam;
 Vi possit tutò viuere, disce mori.
 Niliacæ quoties Memphitica pocula gentes
 Siccabant Zytho plena mouente choros:
 Lumine cassorum roties simulacra virorum
 Mos erat hospitibus conspicienda dare.
 Scilicet ut memores fati, fortisque futuræ
 Comprimerent furias Palladis arte suas.
 Threicius quoties (scit Gracia) Bosporus arma
 Legitimo ducibus iure regenda dabat:
 Tres lapidum species, marorum structor, adactas
 Ponebat, memorans talia verba, Duci:
 His lege de saxis, Dux inclyte, quo ibi solers
 Mausolea statim regia conficiam.

Cj

Tu

Tu quoque dum tumulum cernis, mortalia sperne:
Et dic, nos homines puluis & umbras sumus.
Non animum tollas tumidum florente iuuenta
Certa valetudo, nec tibi corda dabit.
Nec generis splendor, nec stemmata clara parentum
Nec si possideas fulua metallia Tagi.
Dur a nihil Lachesis forma prestante mouetur,
Nil curat Cræsi, diuitiasque Mide.
Nulla nec etatis ratio nec mentis habetur.
Primæuo rapiuu flore iuuenta sagax.
Tollitur e viuis Paphia dilectus Adonis,
Et facie Nireus conficiendus obit.
Nestora Thersitæ, Paridem coniungit Achilli
Acropos, & Priamo Troile iuncte cadis.
Funere natorem Sipyleia mater acerbo
Saxi instar calido sanguine cassa riget.
Condita quæ gelido iacet hoc Margricta sepulcro,
Sanguine sacrati præsulis orta fuit.
Siue petas studium, studium pietatis habebat,
Seu mores morum lumine grata fuit.
Pulra Citheriacæ dederant huic nomina concha
Oceanus raras quas habet ipse senex.
Rara pudor, virtus, & rara est virgo pudica:
Sed roseas erat hac picta pudore genas.
Sepè refert mores siboles genitoris amandos,
Non raro felix nomen & omen habet.
Nondum lustra duo complerat florida vita,
Cum subito Paræ licia pulla legunt.
Sic ego purpureas violas marcescere vidi,
Puniceas vidi sic cecidisse rosas.
Terræ tegit corpus gremio fœcunda tenellum;
Spiritus acberca viuit in arce poli.

Mox ubi terribilis clanget tuba iudicis aquilæ
Et triplex mundi flamma peruret opus:
Spiritus hospitium repetet nitidissimus, antè
Quod tenuit, carpens gaudia vera Dei.
Sic & Apollineus reparat sua viscera phœnix,
Obruta sic glebis semina vero virent.
Ergo memor lethi, memor extrema quædici
Et vita aeterna, care viator, abi.

F. V. *Abraham*

